



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

89. Confirmatur: Christi meritum, utpote infinitum, potuit ad omnes nostræ prædestinationis effectus, omniaque bona & dona supernaturalia se extendere; & cum Christus sit redemptor & sanctificator hominum, congruum fuit ut ad omnia quæ pertinent ad ordinem redemptionis & nostræ prædestinationis, merita sua dirigeret & ordinaret: Ergo nullâ ratione videtur negandum, Christum omnia dona supernaturalia, omnesque prædestinationis effectus, nobis meruisse.

§. II.

Solvuntur objectiones.

190. **O**bjicies primò: Si Christus meruisset nobis gratiam, fidem, & alia dona supernaturalia, illa non darentur nobis gratis, sed ex iustitia: At hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris manifesta videtur, quod enim datur alicui titulo meriti, datur per modum præmij & mercedis: quod verò datur alicui ut merces, non datur gratis, sed debito iustitiæ, ut patet ex illo ad Roman. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Minor etiam constat ex illo ad Roman. 3. *Iustificati gratia per gratiam ipsius:* quibus verbis gratiam iustificantiem dari merè gratis docet Apostolus. Idem asserit Augustinus de prædestin. Sanct. cap. 15. de fide quâ Christiani sumus: ait enim quod eâ gratiâ ab initio fidei suæ fit homo quicumque Christianus, quâ homo ille ab initio factus est Christus: Sed ille homo factus est Christus absque suis meritis, ex sola libera Dei voluntate: Ergo etiam nos ex eadem libera voluntate facti sumus Christiani, id est credentes in Christum, atque adeò fides quæ ad iustificationem requiritur, non datur nobis ex meritis, secundum mentem Augustini.

191. **R**espondeo distinguendo Majorem: Si Christus meruisset nobis gratiam, fidem, & alia dona supernaturalia, hæc non darentur merè gratis, per respectum ad merita Christi, concedo Majorem. Comparativè ad nostra merita, nego Majorem. Ad Minorem similiter dicendum, loca Scripturæ quibus dicitur nos justificari gratis, intelligenda esse per respectum ad nos, non verò per respectum ad Christum, quamvis enim nullis nostris præcedentibus meritis gratia iustificationis conferatur, nobis tamen datur ex meritis Christi. Idem vult Augustinus, cum ait, quod eâ gratiâ homo à principio vitæ suæ fit Christianus, quâ Dei Filius factus est Christus, excludit enim merita nostra respectu nostræ vocationis, non autem merita Christi; ibi enim impugnat Pelagianos, qui docebant nos posse credere & justificari ex viribus liberi arbitrij. Excludit etiam ibidem merita Christi, respectu Incarnationis ejus, ait enim: *Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana quæ in illo est comparavit? Respondeatur quæso: ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unitatem persona assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? quid egit ante, quid credidit, quid petiit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Et infra: Quisquis in capite nostro præcedentia merita illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicata regenerationis inquirat. Neque enim retributa est Christo illa genera-*

tio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati, de Spiritu & Virgine nasceretur. Sic & nobis ut ex aqua & spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum &c.

Objicies secundò: Apostolus ad Roman. 4. loquens de Christo ait: *Traditus est* (scilicet in mortem) *propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem nostram:* Ergo justificatione nostra non provenit ex vi mortis Christi, sed ex vi resurrectionis ejus: At resurrectio Christi non operatur per modum meriti, sed solum per modum causæ physice instrumentalis, cum Christus post mortem suam non meruerit, ut supra art. 1. ostensum est: unde D. Thomas infra quæst. 56. art. 1. ad 3. dicit quod *resurrectio Christi non est propriè loquendo causa meritoria resurrectionis nostræ, sed est causa efficiens & exemplaris:* Ergo Christus non meruit justificationem nostram, nec per consequens omnes effectus nostræ prædestinationis.

Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam, nostra enim justificatione mortis Christi ut causæ meritorie attribuitur: quando verò Apostolus ait quod Christus resurrexit propter justificationem nostram, solum vult resurrectionem Christi esse causam exemplarem nostræ justificationis, ut docet D. Thomas super hunc locum Apostoli lect. 3. his verbis: *Mors Christi fuit nobis salutaris, non solum per modum meriti, sed etiam per modum alicujus efficientiæ: cum enim humanitas Christi esset quodammodo instrumentum divinitatis ejus, ut Damascenus dicit, omnes passionis & actiones humanitatis Christi fuerunt nobis salutaris, utpote ex virtute divinitatis provenientes: sed quia effectus habet aliquantulum similitudinem causæ, mortem Christi quæ extincta est in eo mortalis vita, dicitur esse causam extinctionis peccatorum nostrorum; resurrectionem autem ejus quæ rediit ad novam vitam gloriæ, dicitur esse causam justificationis nostræ, per quam redimus ad novitatem iustitiæ.* Et in hac parte quæst. 56. art. 1. ad 4. sic habet: *Secundum rationem efficientiæ quæ dependet ex virtute divina, tam mors Christi, quam etiam resurrectio, est causa tam destructionis mortis, quam reparationis vitæ. Sed secundum rationem exemplaritatis, mors Christi per quam recessit à vita mortali, est causa destructionis mortis nostræ: resurrectio verò ejus, per quam inchoavit vitam immortalem, est causa reparationis vitæ nostræ: passio verò Christi est insuper causa meritoria.*

Objicies tertio: Incarnatio Christi fuit primus & potissimus nostræ prædestinationis effectus: Sed Christus suam Incarnationem non meruit, cum principium meriti non cadat sub merito, ut supra ostensum est: Ergo Christus non meruit omnes nostræ prædestinationis effectus. Major probatur: Omne quod cum effectu ad finem nostræ prædestinationis conducit, fuit à Deo ex intentione hujus finis paratum, & consequenter est nostræ prædestinationis effectus: Sed Incarnatio Christi cum effectu ad finem prædestinationis nostræ maxime conducit: Ergo fuit à Deo ex hoc fine præparata, & consequenter fuit nostræ prædestinationis effectus.

Respondeo, negando Majorem, ad cujus probationem, distinguo Majorem: Omne quod cum effectu ad finem nostræ prædestinationis conducit, fuit à Deo ex intentione hujus finis paratum, si conducat ad illum ut medium ad finem, concedo.

cedo Majorem: si ad illud conducatur ut causa, nego Majorem: licet autem Incarnatio Christi, ejusque merita efficaciter ad salutem electorum conducant, non tamen conducunt ut media, sed ut causa illius, ac finis beatitudinis nostrae, cum Incarnatio & merita Christi nobiliora sint ac Deo propinquiora, quam salus hominum, ut disp. 5. fusè declaravimus, unde non præparantur à Deo ex intentione & amore illius, nec per consequens sunt nostrae prædestinationis effectus.

196. Explicatur, & magis illustratur hæc solutio: Non omne efficaciter conducent ad aliud, debet illius amorem supponere, & ex illius intentione imperari, sed tantum quod ut medium assumitur; cum enim medium ratione finis ametur, sicut conclusio ratione præmissarum cognoscitur, debet ut efficaciter eligatur, amorem efficacem finis supponere, & imperari ex illius efficaci intentione; sicut conclusio, quia ratione principiorum cognoscitur, ut certò cognoscatur, debet certam principiorum cognitionem supponere, & ut evidens sit conclusionis cognitio, præsupponi debet evidens principiorum notitia: causa verò est in ordine ad effectum ametur, non tamen ratione effectus amatur, & ideo illius amorem non supponit, sed infert: unde cum Incarnatio non ordinetur ut medium ad salutem electorum, sed sit illius causa & finis, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*, ex illius intentione non fuit à Deo imperata, licet ad salutem hominum, ut ad finem cui ordinata fuerit, ut loco citato exposuimus.

197. Obijcies quartò: Fides & spes sunt nostrae prædestinationis effectus: Sed Christus nec fidem nec spem nobis meruit: Ergo non meruit nobis omnes prædestinationis effectus. Major est certa, Minor probatur. Christus solum venit in mundum, ut ea recuperaret & mereretur, quæ primus parens peccando sibi & nobis amisit: Sed primus parens peccando non amisit fidem, nec spem, cum illæ virtutes non amittantur nisi per actus infidelitatis, & desperationis, quos Adamus peccando non elicit: Ergo meritum Christi non se extendit ad motus fidei & spei, nec ad auxilia ad illos actus eliciendos necessaria.

198. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem respondet Vazquez disp. 77. cap. 4. quod Adamus quando peccavit, revera amisit fidem, sicut Eva, quia eodem modo credidit dictum serpentis verum esse, videlicet: *Nequaquam moriemini, & eritis sicut Dij*. Nec obstat (inquit) quod Apostolus 1. ad Timoth. 2. dicat: *Vir non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit*. Hoc enim solum denotat, quod vir non est seductus primus, sed secundus, ut plures ex SS. Patribus exponunt. Vel ut alij volunt, his verbis tantum significatur, virum non fuisse seductum à serpente, sicut mulier, sed ab ipsa muliere. Idem docet Pererius in commentarijs super Genesim, ad illa verba: *Deditque viro suo, & comedit*.

199. Melius tamen respondetur, quod licet Adamus non amisit suam fidem peccando, nobis tamen eam amisit, sicut & reliqua dona gratiæ, quæ in nos transfudisset, si non peccasset, atque adeo ad recuperandum ista omnia venit Christus, merendo nobis fidem ac spem, & reliquas dispositiones ad gratiam. Unde in Conc. Arausic. 2. can. 25. dicitur: *Per peccatum primi parentis ita fuisse attenuatum liberum arbitrium hominis, ut nec possit in Deum credere, nec sperare*. Ex quibus verbis

Tom. IV.

A aperte colligitur, Adamum peccando, nobis fidem & spem amisisse. Et in hoc sensu intelligendus est S. Prosper, dum resp. 1. ad excerpta Genuensium probat contra Semipelagianos, fidem in posteris Adæ petiisse, nec nisi ex dono Dei, & per gratiam Christi, posse recuperari; quia Adam peccando perdidit fidem, & quicquid perdidit, posterius ejus in ipso perdidit: *Quomodo enim (inquit) fides in Adam perdit, in quocumque filiorum ejus inveniretur, nisi eum Spiritus Sanctus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet*. His enim verbis solum declarare intendit, quod Adam peccando amisit fidem pro nobis, & contraxit tunc debitum carenti illa, non quidem in propria persona, cum infidelitatis peccatum non commiserit, sed in omnibus suis posteris. Eodem modo intelligendi sunt alij SS. Patres, quos Vazquez & Pererius pro sua sententia adducunt. Cum verò Leo Papa ait quod *Adam exutus fuit fidei vestimento*, rectè intelligi potest quod exutus fuit charitate, quæ cum sit forma fidei, veluti vestimentum ejus dici potest. Alij verò qui dicunt, Adamum peccando fuisse infidelem, non loquuntur de infidelitate quæ cōtingit ex amissione fidei virtutis Theologica, sed de infidelitate quæ opponitur fidelitati quam tenemur servare Deo in observatione mandatorum; quæ ratione omnis transgrediens præcepta divina dicitur infidelis, quia non servat fidelitatem, licet non amittat virtutem Theologicam fidei, & è contra omnis observans mandata, dicitur *fidelis servus*, Matth. 24. & 25.

§. III.

Corollarium præcedentis doctrine.

EX dictis inferes, Christi meritum se extendere non solum ad omnia bona supernaturalia, quæ conferuntur hominibus qui post ipsum nati sunt, sed etiam quæ collata sunt antiquis Patribus, alijsque omnibus qui ab origine mundi fuerunt post lapsum primi parentis: Nam ut supra dicebamus, gratia & alia dona supernaturalia fuerunt in Christo tanquam in universali principio: Sed virtus primi principij alicujus generis universaliter ad omnes effectus illius se extendit, sicut virtus Solis, qui est causa universalis generationis, ad omnes rerum inferiorum generationes: Ergo virtus meritoria Christi extenditur ad omnia dona supernaturalia quæ conferuntur vel collata sunt hominibus, à lapsu primi parentis, sive in lege naturæ, sive in lege scripta. Unde ad Hebræos 9. Christus dicitur mortuus in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori testamento. Et ad Rom. 3. Apostolus ait: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum*. Item Apocal. 13. Christus, dicitur *agnus occisus ab origine mundi*, eò quod pretio suæ mortis futuræ, gratia collata sit omnibus, quicumque illam receperunt ab origine mundi. Denique Actorum 4. Princeps Apostolorum ait: *Non est aliud nomen datum sub celo in quo oporteat nos salvos fieri &c.*

Dices, Meritum, cum sit causa præmij, & via ad illud, debet prius existere: Sed meritum Christi non prius extitit, quam gratia antiquorum Patrum, cum hæc ante Incarnationem, & Christi adventum, ipsis collata fuerit: Ergo meritum Christi ad illam non potuit se extendere.

Respondeo non requiri necessariò quod meritum prius existat in executione ante præmium,

QQ99